

Timoth. in Oratione de Propheta Simeone Dei suscepto. At Justus ille Simeon hic illuc oculos circumferens, ut vidit multas matres privata humana conditionis specie praditas; solam autem Virginem multo ac divino lumine circumfusam, incurrens separavit ab ea reliquas matres, clamans ac dicens coram omnibus: Date mihi locum, ut prebendam, quem desidero. Quid vos conditione ancille cum libera, ac Domina concertatis? Pende in Timothei narratione, Deiparam in Templo multo ac divino lumine circumfusam; hocque caelesti splendore indicantem regiam illam conditionem a communi reliquarum matrum servitute liberam, id est, eximiam sanctitatem, quae a caeteris mulieribus, primaevae culpae misera conditione ancillis, mirandum in modum dignoscebatur; ut vel ex hoc sublimi splendore, quo illam Simeon convellit prospexit, singularem gratiae immunitatem fuerit in ipsa reveritus. Quod revoces carmen Joannis Geometrae datum numero 197. ex Hymno 3. ubi tam splendidum Virginis corpus canit, ut solis curru praetulerit, dum tanquam aurea rheda solem justitiae Jesum portabat.

961 Inter has mysticae lunae, & caelestis claritudinis alternas vices, dignus est habitus Magnus ille Areopagita Dionysius, qui ad Deiparam clarissimum conspectum felix admittetur: ut ipse scribit in Epist. ad Paulum Apostolum hilce verbis: Cum a Joanne vertice Evangelii ductus fui ad Deiformem praesentiam altissima Virginis, tantus me immensus divinus splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiavit interius, ut nec corpus infelix, nec spiritus posset totius ac tanta felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit spiritus meus, tanta gloriae maiestate oppressus. Hanc Areopagite Epistolam cum Dionysius Carthusianus commemorasset lib. 1. Sentent. distinct. 16. quae 2. haec addit: Apparitio, & manifestatio illa facta fuit ad declarationem eximiae sanctitatis, dignitatis, & gratiae, praeclearissima Virginis. Sapienter Carthusianus mirabilem illum splendorem interpretatus est latentis Virginis gratiae argumentum. Subdit rursus: Mihi videtur, imo forsam, ut pie credendum censetur, frequenter ita ostensa sit, atque circumdata lumine copiosissimo improvise inventa; praesertim cum aliae quadam utriusque sexus personae circumdata luce superna visibili interdum inventa, & vise sint. Pie ille ac prudenter. Vide quae scribit in hanc rem lib. 1. de laud. Mariae art. 36. cui subscribit Vincen- tii Regius noster lib. 1. in Evang. cap. 2. in Digressione morali n. 19.

962 De Virgine in Nazareth degente, dum Puerum educaret, sic Gerson in Josephina p. 3. Tota sibi facies fulgore nitebat honore: Difficile est cor devotum non prode re vultu. Lumine cor divo plenum, foris emicat, instar Lampadis accensae; Moysi testis facies sit. Atque in univertum, quod ad reliquum Mariae vitae spatium attinet, haud indigna est clarissimi Theologi Joan. Gersonis sententia quae in hoc gravissimo Patrum senatu recitetur. Non claritatem modò, sed alias etiam nobilissimas beatitudinis inchoatas dotes Virgineo corpori infuisse tradit, quibus caelestis gloriae speciem quandam praese ferret. Sic ille in Tract. 4. in Magnificat. Jam quoque dotes corporis glorificati in ea inchoabantur ex abundantia virtutum, nec non dominium spiritus

super animum & corpus; ut esset inde corpus agile secundum omnes vires cognitivas & motivas; subtile; praeterea clarum; nec ita passibile, ut nostrum, quod a primis motibus praeventur. Sed tamen haec minus perfecta, quam nunc habet in Patria. Doctè, castigatè, & in Deiparam religiosè, ut docuit Parisiensem Cancellarium. Quadruplicis gloriose dotis praeludia, qualia ferebat viatricis status Virginis adscribit, signatim verò inchoatam claritatis dotem. Hanc autem cum reliquis tribus, justitiae originariae attribuit, cujus praecipua munera in Deipara ibidem cognoscit littera L. & N.

963 Neque vivum modò Virginis corpus, sed cadaver quoque Virgineum eundem retinuisse splendorem, testis est S. Andreas Hierosolymitanus Patriarcha in Sermon. 2. de Assumpt. B. Virg. Erat ergo in medio propositum illud tricubitale, & luminosum corpus Deiparae. Et S. Milton Sardenis Episcopus lib. de Transitu Virginis cap. 12. eidem claritati fidem facit. Apparuit corona nobis super feretrum (quo Deiparae corpus efferebatur) magna valde, sicut apparere solet magnus circulus juxta splendorem lune. Et paulò post: & respicientes viderunt coronatum feretri lectulum magnà glorià. Igitur dicta haecenus abundè probavit, permixtum in hac vita, justorum animis, ut in corpora ipsorum, de plenò gratiae lumine paululum elucescat: & gloriae splendores prorumpant tantisper. Ut hinc etiam appareat quàm aptum gratiae & gloriae symbolum sit lux ista visibilis initio mundi condita, cum plerumque assumatur à Deo pro interioris gratiae & reconditae gloriae indice, & argumento. Sed hinc stilum jam moveamus.

§. VI. Alnum Eucharistiae Sacramentum lumen extat Ecclesiae indeficiens, & indefessum.

964 Statuimus supra à num. 918. in illis verbis; Ego feci in calis ut oriretur lumen indeficiens seu indefessum; fieri respectum ad primigeniae lucis productionem. Rursum effectimus ex SS. Basilio, & Nazianzeno, Theodoro, Procopio Gazæo, & aliis, eam lucem divino jussu coruscantem, & omnia illustrantem, meram fuisse qualitatem verumque accidens sine subjecto subsistens per tri- duum illud, quo transacto, lux in luminaria parva & magna fuit pro Dei arbitratu distributa. His praefactis, audiendus est S. Nazianzenus Orat. 43. quae est in novam Dominicam, ubi rem facit illustriorem & praefixo nostro argumento lucem affundit ita sapienter. Cum in aliis rebus hanc rationem tenuisset, ut materiam prius conderet, ac deinde de eam formam convestiret, ordine videlicet ac figurà, magnitudineque unicuique rei impositis; hic ut majoris cujusdam miraculi specimen daret, formam materiam priorem protulit; forma enim solis lumen est, ac postea materiam induxit, Solem hunc nimirum diei oculum fabricatus. Pre- me illa: Ut majoris cujusdam miraculi specimen daret. Agnoscit enim sapientissimus Theologus miraculum accidentis sine subjecto suo subsistentis, in prima illa lucis productione. Sed miraculum quidem, quod majus aliud miraculum portendat. Ast cujusnam miraculi, primi-

Dionysius Areopagita splendore Mariam circumfulsit. S. Dionys. Arcopag.

Dionys. Carthul.

Virgo in Nazareth degens luminosa.

Gerson.

Mariano corpori in hac via in-

Virginis cadaver luminosum. S. Andre. Hierosol.

S. Meliton.

Lux primigenia accensus sine substantia fuit.

S. Nazianz. Et specimen miraculi, nempe Eucharistiae formam materiam priorem protulit, forma enim solis lumen est, ac postea materiam induxit, Solem hunc nimirum diei oculum fabricatus.

P. Pereir.

Eucharistiae lumen indeficiens.

Isai. 9. 1.

LXX.

De primo Christi miraculo in Cana Galilaeae. S. Hieron. Fuit Eucharistici poculi proladium.

Joan. 2. 3. S. Irenaeus.

Exoptabat tunc Deipara Calicem Eucharistiae.

S. August.

primigenia illa lux, specimen erat, & proludio? Certè miraculosa positionis accidentium panis & vini absque subjecti adminiculo in almae Eucharistiae epulo. Sic excogitavit noster Pereirus optimus ac disertissimus Gene- seos Interpres, ad cap. 1. 3. Maximum profectò (ait ibi) inducit miraculum, & nunquam aliàs factum praeterquam in uno Eucharistiae Sacramento. Cui subscribit P. Cornelius in 2. Epist. ad Corinth. cap. 2. 6. Jam ergo ex his, quis non videat quàm aptè ad divinissimum Eucharistiae Sacramentum appellari existimemus, à nostro Siracide lumen indeficiens seu indefessum? Cum intuitu sanè ad miraculosam primigeniae lucis productionem? Rem totam aliunde illustrabimus, si prius observes cum Hugone Carenfi, eam lucem in triduo illo ad modum solis extitisse, & circumagitatam superius & inferius hemisphaerium illuminasse. Deinde hanc eandem lucem soli attributam, cujus ipse vehiculum extat ad mundi illuminationem. Imò Tertullianus putat adversus Hermogenem cap. 29. illam primigeniam lucem splendore solis quarto die conditi impletam fuisse. Quae observari volui pro testimonio sacrae Scripturae jam expendendis, in quibus alium Eucharistiae Sacramentum ad instar solis, seu lucis in Ecclesia Christiana esse dicitur, mentes illuminantis.

965 Egregia in primis nobis suppeditabit vaticinia magnus Isaias. Primum in cap. 8. à vers. 1. Primo tempore, alleviata est terra Zabulon, & terra Nephthalim, & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilaeae Gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbratae mortis lux orta est eis. Pro prioribus verbis, five ephraimicè, five potius paraphrasticè, habent LXX. Interpretes: Hoc primum bibe, velociter fac, Regio Zabulon: id est, primum bibes, & velociter facies, accepto imperativo pro futuro, ut saepe fieri solet in sacris litteris. Ast quid sibi velit LXX. Seniores hac sua translatione, non parum negotii fecerit. Hieronymi sententiae adhaereo, cui subscribunt Eusebius lib. 9. Demonstrat. Evangelicae, Leo Castris, & multi alii. Sermonem hic nimirum esse de primo Christi Domini miraculo aquae in vinum conversae in nuptiis Cana Galilaeae, quae pertinet ad tribum Zabulon. LXX. dicunt (ut Hieronymus) hoc bibe, velociter fac: quia terra Zabulon & terra Nephthalim prima Christi videre miracula. Certè primum hoc miraculum, miraculosi poculi Eucharistici fuisse proladium, indubitatum debet esse. Vinum enim in Christi sanguinem miraculosè convertendum sitiebat tunc Deipara Virgo, cum vini defectu imminente agebat: Vinum non habent. Joan. 2. vers. 3. Sic Sanctus Irenaeus lib. 3. adversus Haereseos cap. 18. Properante Maria ad admirabile vini signum, & ante tempus volente participare compendii poculo, &c. Appellat compendii poculum calicem Eucharisticum: quasi fervore quodam duceretur Maria bibendi sanguinis Christi. Suffragatur Sanctus Augustinus Tract. 8. in Joannem, ubi premens illud Joannis; Sciens Jesus quia venit hora ejus, & componens cum dato Virgini responso: Quid mihi, & tibi est, mulier? Nondum venit hora mea; sic fatur: Illa hora jam venerat, de qua tunc dixerat: Nondum venit hora mea.

Hora nempe illa jam venerat, in qua facta est vini conversio in Christi sanguinem, quam illa in nuptiis miraculosa aquae in vinum conversio portendebat, & quam ardentè sitiebat Deipara. Aut certè dum Isaias ait: Hoc primum bibe, velociter fac, terra, seu regio Zabulon. Vel clarius: Hoc primum bibes, & velociter facies, o Regio Zabulon: Apostolos alloquitur, qui ex ea Regione sumpti primos populi Eucharistici haustus, ipsi primi degustarunt in sacrae Coenae nocte. Quid ergo subinde? Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbratae mortis lux orta est eis. Quasi perinde fuerit, ab Eucharistico Calice Dominicum haussisse sanguinem, atque magnam è caelo haussisse lucem, tenebras & mortis umbras dispellentem. Ut enim S. Ephrem loquitur in Sermon. de Judicio, pretiosus calix sanguinis Christi est plenus vitæ, & lumine. Hunc igitur calicem bibere invitamur ab Isaiâ, si magna è caelo luce circumfundi volumus, & illustrari.

966 Expendamus & alterum ejusdem Vatis testimonium ex cap. 24. 22. Erubescet luna, & confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, & in Jerusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus. Non pauci nec minoris notae Interpretes haec verba explicant de Christo sub Eucharisticis speciebus delitescente, splendide & gloriosè regnante, in summaque à suis veneratione, & honore, habito. Sic S. Cyrillus ibi; Alcazar in cap. 20. Apocal. notatione 4. Velazquez in cap. 2. Epist. ad Philipp. vers. 9. adnotatione 5. & ante eos ex nostris etiam Franciscus Turrianus in aureo libello de Eucharistia, Tractatu 2. cap. 31. qui cum S. Cyrillo rectè arbitrantur, praedici Christum Dominum glorificandum per sacram operationem ipsorum Presbyterorum, & per commemorationem divinatorum operum, quae in sancta Eucharistia agitur per Presbyteros. Juxta quam interpretationem putant ipsi, in illis verbis, erubescet luna & confundetur sol, sermonem esse de sole & luna, praecipuis caeli luminaribus, quae in primis Diis habebantur, quorum cultu sublato & deletò, per Eucharistiae Sacramentum, ipsa necesse erat, eorumque cultores, ut erubescerent, & confunderentur; & praestantiori modo alma Eucharistia, solis & lunae munus perageret, omnia longè lateque illustrans & illuminans. Christus enim in sacra Altaris mensa gloriosum sese maximè ostendit coram Sacerdotibus, caeterisque fidelibus; quos illustrat & illuminat instar Solis & lunae: magnis autem caeli luminaribus caligini est, & rubori, ita ut in conspectu ejus non audeant apparere. Solem tantum, & lunam colere solitas nationes, imò & Hebraeos ipsos, latè probat & eruditè noster Paulus Sierlogus in Salomonis Canticum, Anteloquio 5. Sectione 5. subfectione 3.

967 Sed datae Isaiæ verbis intelligentiae splendor conciliatur ex Apocal. 21. 23. ubi de militante Ecclesia, juxta multorum placitum, loquitur Joannes sub magnae cujusdam Civitatis symbolo. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus est Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine ejus &c. Ast quis iste Agnus ad instar solis & lunae in Ecclesia militante? Agnus planè Eucharisticus, de quo idem Joannes cap. 5. 6. Et vidi & ecce in medio.

Calix Eucharisticus plenus vitæ, & lumine. S. Ephrem.

Isai. 24. 22.

Christus in Eucharistia illustrans & illuminans instar solis & lunae, fugat à idololatriâ.

S. Cyrill.

Solaris lucerna Ecclesiae Agnus Eucharisticus.

Apoc. 5. 6. med. o.



